

## 1355-1355- OFP - Acta Capitulorum Generalium apud Pampilonam Celebrati

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.  
 Hec sunt acta capituli generalis apud Pampilonam celebrati  
 anno Domini · M° · CCC° · LV° .

### **Iste sunt inchoaciones.**

Inchoamus hanc: In capitulo de capitulo generali, ubi dicitur: qui durante capitulo vices magistri ordinis gerat in omnibus, deleatur illud, quod sequitur: duntaxat quoad tractatus et acta capituli pertinebunt etc. et addatur: et locum magistri ubique teneat et possit concedere litteras de beneficiis ordinis ut magister, sed in diffinicionibus unam habeat tantum vocem.

Item. Quod de sanctis angelis, Maria Magdalena et Vincencio octave per totum ordinem celebrentur.

Item. Ad instanciam serenissimi principis domini Karoli imperatoris semper augusti, quod de lancea et clavis, quibus sanctissimum corpus domini, cum fuit in crucis ara pro nostra salute transfixum, feria · vi · a proxima post octavas resurrectionis eiusdem domini nostri Ihesu Christi, fiat per totum ordinem festum simplex; et magister ordinis curet de officio providere.

Item. Inchoamus hanc: In capitulo de electione prioris provincialis, ubi dicitur: si priorem provincialem in capitulo generali vel medio tempore usque ad provinciale capitulum vel in ipso capitulo provinciali mori vel amoveri contigerit, addatur post immediate: vel quocumque alio casu infra illud tempus provinciam aliquam priore provinciali carere contigerit, ad ipsum provinciale capitulum electio pertinebit. Et ista medio tempore observetur.

Item hanc: In eodem capitulo, ubi dicitur: Volumus autem, quod electio predicta spectet tantum ad priores conventuales et duos fratres de quolibet conventu ad hoc etc., addatur immediate ibidem: quocienscumque huiusmodi convocationem fieri contigerit, elector etc.

### **Iste sunt approbaciones.**

Approbamus hanc: In capitulo de inclinacionibus, ubi dicitur: ad: suscipe deprecationem nostram, addatur sic: Item quandocumque nomen Ihesu in collecta, in prefacione, in antiphona, aut in gloria in excelsis nominatur. Quando vero nomen Ihesus alias nominatur in choro, fratres eidem reverenciam faciant, capite devocius inclinato. Et hec habet duo capitula.

Item. Approbamus hanc: In ordinario post illud noviter confirmatum de memoria de sancto Thoma fienda, addatur sic: tempore resurrectionis addatur alleluia, brevi tono dictis antiphonis breviter correspondens. Et hec habet duo capitula.

Item hanc: In capitulo De itinerantibus, ubi dicitur: Ex vi presentis statuti: deleatur quod sequitur: omni voce etc., usque ibi: nisi per magistrum ordinis, et dicatur: in penam incidat graviori culpe debitam ipso facto, in qua cum tali dispensari non possit nisi per magistrum ordinis vel capitulum generale. Et habet duo capitula.

Item. Approbamus hanc: In capitulo de graviori culpa in constitucione noviter confirmata, ubi dicitur: idem dicimus de fratribus, qui inventi fuerint ad taxillos lusisse, addatur statim: vel qui in sentenciam excommunicacionis a quocumque iudice nostri ordinis rite latam scienter incidisse fuerint deprehensi. Et hec habet duo capitula.

Et omnes predicte approbaciones medio tempore inviolabiliter observentur.

### **Iste sunt confirmaciones.**

Confirmamus hanc: In capitulo de suffragiis, ubi dicitur: anniversarium vero fratrum, addatur: et sororum ordinis nostri, et ponatur in calendario, ubi dicitur anniversarium supradictum. Et hec habet tria capitula.

Item. Confirmamus hanc: In capitulo de recipiendis, ubi dicitur: nec receptus fiat clericus nisi de licencia magistri speciali, addatur sic: nullus conversus recipiatur infra · xviii · annos, et radatur de eodem capitulo, ubi prius erat, et post rasuram ita ponatur immediate: nullus eciam recipiatur illegitime natus nisi de prioris provincialis licencia speciali, et tunc sequitur: si vero. Et hec habet tria capitula.

Item. Confirmamus hanc: In capitulo, de electione diffinitorum capituli generalis et provincialis, ubi dicitur: Et ex tunc incipiat auctoritas eorumdem, addatur sic: quod si aliquem de predictis diffinitoribus durante capitulo mori contigerit vel causa alia legitima impediri, electores supradicti secundum predictam formam superius positam statim alium in diffinitorem capituli eligant; qui statim electus eamdem habeat potestatem, quam ceteri habent diffinitores, et loco mortui vel impediti omnia capituli negocia cum aliis diffiniet et pertractabit. Et hec habet tria capitula.

Item. Confirmamus hanc: Ad instanciam et preces prefati serenissimi principis domini domini imperatoris Romani semper augusti, quod de beato Adelberto fiant tres lectiones per totum ordinem, sequenti die post festum beati Georgii, et de beato Procopio confessore fiant tres lectiones modo consimili · iv · a die mensis iulii. Et hec habet tria capitula.

Item. Confirmamus hanc: In capitulo de electione prioris provincialis, ubi dicitur: idem dicimus de socio prioris conventionalis euntis ad capitulum provinciale electo, addatur sic: instante vero prioris provincialis electione priorum conventionalium illius provincie absolucionem nisi ob causam criminis vel gravis scandali fieri totaliter prohibemus. Et hec habet tria capitula.

Et ista in locis suis in constitutionibus, ordinario vel calendario annotentur.

**Iste sunt ordinaciones et admoniciones.**

Inprimis zelo et intencioni sancte reverendi patris magistri ordinis et aliorum patrum ordinis pro ipsius ordinis reformacione nos conformare volentes, volumus et iniungimus prioribus provincialibus universis et aliis ordinis presidentibus, quod ordinaciones et constituciones, et specialiter [sequentes observent, et ab aliis faciant inviolabiliter observari videlicet,] quod fratres omnes refectorium visitent et sequantur ad unguem; et quod nullus frater, cuiuscumque condicionis existat, amplius quam bis vel ter ad plus in septimana a refectorio se absentet; et quod omnes tam [de] die quam de nocte ad chorum veniant et faciant divinum officium secundum modum ordinis devote et sollempniter celebrari; et quod silencium arcte et stricte locis et temporibus statutis teneatur; super quo observatores in quolibet conventu volumus deputari; et quod fratres, nisi illi, per quos conventus substantantur, per villam non discurrant nisi raro, et tunc altera pars copule sit matura et discreta; et quod constituciones et ordinaciones de inclinacionibus observentur, et de non equitando sine licencia speciali, quam concedi nolumus nisi antiquis fratribus et ex causa; et de habitu ordinis quoad formam et materiam secundum nostras constituciones deferendo et specialiter, quod vilitas in capis observetur, et de botonis in manicis non portandis, et quod eciam manice scisse non portentur; et quod fratres intus et extra conventum carnes non comedant, nisi secundum constitutionis formam; et quod fratres de arte medicine non se intromittant; et quod expense excessive prohibeantur; et de non tenendo pecunias in manibus secularium nec eciam extra depositum commune; et de non revelando facta ordinis personis extra obedienciam nostri ordinis constitutas; et de rasura in forma ordinis deportanda; et quod omni septimana sit capitulum de culpis, a quo nullus audeat remanere nisi causa urgente; et de pictanciis per magistros aut a lectoribus sive bacalaris in suis principiis nullatenus faciendis; et de non procurando aliquod officium infra ordinem, nec amocationem seu remocationem in conventu aliquo seu officio pro se vel pro aliis per personas extra obedienciam nostri ordinis constitutas; et quod in cameris non comedatur; et quod non sint in conventibus plus quam quatuor loca ad comedendum, videlicet hospicium, recreatorium, domus infirmorum et refectorium, que volumus in singulis conventibus deputari, nisi forsitan propter loci penuriam aliter fieri oporteret; et quod infirmi bene procurentur. Et dictarum ordinacionum transgressoribus pene imponantur, in quibus aut raro aut nullatenus dispensemur et ex causa racionabili; et presidentes et priores et supprios negligentes in predictis mox in penam a suis officiis absolvantur. Et volumus et ordinamus, quod constituciones ordinis semel infra duos menses in conventibus in mensa fratribus congregatis integraliter perlegantur.

Item. Cum reverendus pater magister ordinis suas ordinaciones exponendo frequenter dixerit, quod non vult fratribus indigentibus esum carnium denegari, universis presidentibus inhibemus, ne fratribus, cum infirmitatis necessitas cogit, recreaciones aut esus carnium denegent, quin pocius famulis dei suam necessitatem et indigenciam non ficte, set veraciter et humiliter exponentibus favorabiliter condescendant, inter quos intelligimus et enumerari desideramus fratres intus vel extra in suis officiis plurimum laborantes, fratres emeritos et hospites spectabiles ad alienos conventus pro causis racionabilibus declinantes.

Item. Prohibemus districte presidentibus universis, quod de cetero precepta non multiplicent nec faciant, nisi de maiori et saniori parte consilii; revocantes ex nunc et penitus annullantes omnia precepta facta actenus per quoscumque, preter illa, que facta sunt per magistrum ordinis, et que per eumdem confirmata sunt in provinciis, quas idem magister personaliter visitavit.

Item. Mandamus prioribus provincialibus universis, eis districtius imponendo, quatenus infra annum faciant in singulis conventibus, ubi expedit, libros chori et ordinaria corrigi et compleri et constituciones ordinis emendari; quas sic correctas, faciant per penas in eiisdem positas, quantum poterunt, observari; nec se reddant faciles ad dispensandum leviter in predictis; (et) iniungentes presidentibus et prioribus, quod si in penis per eas impositis faciliter dispensaverint, ipsi consimiles faciant penitencias, super quo eorum conscientias oneramus, et nichilominus presidentes taliter negligentes per superiores graviter puniantur.

Item. Imponimus prioribus provincialibus, quod studium in suis provinciis studeant reformare iuxta ordinacionem capituli precedentis, et arcent fratres per penas debitas ad sequendum scholas legencium, specialiter principalium lectorum. Et volumus et ordinamus, quod in singulis conventibus deputetur aliquis frater vel secularis, qui iuvenes in grammaticalibus instruat diligenter, nec aliquis possit fieri studens in aliqua facultate nec ad sacros ordines promoveri, nisi in grammatica sufficienter [sit] instructus, nec exponatur aliquis ad legendum vel mittatur ad studium extra provinciam, nisi priori provinciali et diffinitoribus de eius sufficiencia in moribus et sciencia constiterit competenter. Inhibemus autem fratribus universis, ne in scienciis vanis et curiosis conclusionibus et peregrinis studeant vel insistant nec conversent cum fratribus quibuscumque, qui docent seu predicantr conclusiones temerarias, falsas, periculosas aut suspectas, maxime contrarias determinacioni sancte matris ecclesie et doctrine communi, et precipue doctrine sancti Thome diligencius insistendo. Quod si aliquis admonitus se non correxerit, ipso facto penam gravioris culpe se noverit incurrisse.

Item. Ordinamus, ne de cetero aliquis fiat in ordine predictor generalis, nisi fuerit sufficiens in moribus et vita, et qui alias de crimine non fuerit convictus; nec prior aliquis propter suos defectus absolutus eodem anno possit fieri visitator.

Item. Ordinamus et mandamus quod constitucio, que dicit, quod priores et lectores et supprios in visitatores nullatenus elegantur, inviolabiliter observetur. Visitatores autem officium suum ubique exerceant in conventibus, reverendi patris magistri ordinis aut prioris provincialis presencia non obstante, quamvis eciam idem provincialis vel magister illos conventus visitaverit illo anno.

Item. Volumus et ordinamus, quod fratres iuvenes et qui non habuerunt promociones notabiles in ordine, reverenciam exhibeant fratribus beneemeritis, antiquis precipue, lectoribus principalibus, cursoribus biblicis et magistris studencium, nec se ipsis preferant quoquomodo, nonobstante, quod sint antiquiores in ordine estate; nec prius interrogent aut respondeant in capitulo quandocumque super aliquibus negociis pertractantes.

Item. Ut magistris et bacalariis Parisiensibus omnis dissensionis occasio subtrahatur, volumus et ordinamus, quod, quando infra eumdem annum contigerit duos bacalarios Parisius legere sentencias, quorum unus legat estivaliter, ut moris est, et alter ordinarie, et per ordinem sit promotus, ille qui ordinarie legerit sentencias primitus ad magisterium presentetur, alter vero quibuscumque bacalariis annis sequentibus legentibus sentencias in presentacione et pro magisterio preferatur, nisi forte in predictis per sedem apostolicam fuerit aliter ordinatum. Adiuentes ad predicta, quod multorum bacalariorum intraneorum expedicio ad magisteria graciosa non tollit nec preiudicat expedicioni intraneis debite de rigore. Et idem per omnia dicimus de bacalariis extraneis et volumus in posterum taliter observari.

Item. Ad instanciam procuratoris ordinis mandamus et districte imponimus fratribus universis, quatenus prelatis et aliis ecclesie rectoribus debitam reverenciam exhibeant, nec eos provocent quovis modo, imponentes districtius prioribus provincialibus et aliis presidentibus, quod, ubi tales invenerint, punientes restringant. Et idem dicimus et volumus fieri contra illos, qui de factis ordinacionibus evomuerint mala verba.

Item. Mandamus et imponimus prioribus conventionalibus universis et vicariis eorumdem, quatenus quandocumque contingat aliquem fratrem contra suos superiores et a correctione ordinis appellare, factam huiusmodi appellationem et occasionem appellandi indilatae procuratori ordinis mittere non omittant; alioquin si quis super hiis negligens fuerit, per magistrum ordinis se noverit graviter puniendum.

Item. Mandamus et imponimus prioribus provincialibus universis, quatenus privilegia ordinis preter illa, que in mari magno continentur, et indulgencias ordini communiter indultas contentas in bullis et allis publicis instrumentis in suis provinciis diligentissime perquirant, et si necesse fuerit per preceptum, et cum subiectis clausulis ad brevitatem redacta fideliter reverendo patri magistro ordinis sive priori Parisiensi aut procuratori ordinis aut ad sequens capitulum generale mittere non omittant, signando huiusmodi conventus, ubi predicta privilegia potuerint inveniri.

Item. Interdicimus prioribus provincialibus universis, ne in suis provinciis vicarios instituant per contratas, quod si secus factum fuerit per quemcumque, penitus annullamus; poterunt autem secundum morem ordinis visitatores instituere in provincialibus capitolis, qui provinciam visitent; quos semper volumus fieri maturos et discretos, quibus vel aliis fratribus ydoneis, si opus fuerit, dumtaxat in determinatis conventibus possint committere vices suas, ita tamen, quod infra decem dies ab ingressu eorum ad singulos conventus eorum potestas ccesset penitus et expiret, nisi provinciales, ex causa rationabili occurrente, vices suas ducerent plenius et diuicius aliquibus fratribus committendas, maxime in casu, ubi prior provincialis non poterit conventus illos personaliter visitare. Predicta non intelligimus de illis conventibus et contratis, que secundum morem ordinis consueverunt per vicarios gubernari.

Item. Ordinaciones factas in capitulo Narbonensi, videlicet: quod bona fratrum remaneant illis conventibus, in quibus illos mori contigerit conventionales, et quod priores provinciales in contrarium litteras non concedant; et quod fratres studeant diligenter in biblia et lectores circa textum et glosas principaliter insistant; cursores vero sentenciarum in studiis generalibus et conventibus sollempnibus quatuor libros sentenciarum perlegant infra annum.

Item. Quod in quolibet conventu, dicto pater [noster] et credo post completorium, fiant tres pulsaciones cum magna campana, et tunc fratres genibus flexis salutent virginem gloriosam, dicendo ad minus ter ave Maria; et quod post fidelium in horis dicatur a fratribus genibus flexis: Salve regina cum quatuor collectis: prima: protege; secunda: deus omnium; tercua: famulum tuum regem; quarta: ecclesie tue, addendo in fine: et pacem tuam nostris concede temporibus. Versiculis precedentibus: Ora pro nobis pro prima; Oremus pro domino papa pro secunda; Salvum fac regem pro tercia; fiat pax pro quarta, tenore presencium renovamus.

Item. Cum intellexerimus aliquos fratres sine prioris provincialis beneplacito fuisse mutatos et aliis conventibus seu provinciis de facto assignatos per aliquos fratres, qui se dicebant super hiis habere a reverendo patre magistro ordinis potestatem, volumus et ordinamus, quod nullus frater huiusmodi mutaciones et assignaciones faciat nec facere presumat, donec priori provinciali provincie illius fratraris, quem mutare proponit, fidem fecerit de commissione et auctoritate a magistro ordinis vel vicario generali per litteras sibi facta; alioquin sit huiusmodi frivola et inanis; et nichilominus omnes commissions factas actenus totaliter revocamus; rogantes reverendum patrem magistrum ordinis, quod tales commissions vel litteras de facili non concedat.

Item. Consolacioni et bono regimini Ybernie provincie et Anglie volentes providere, circa fratres Ybernie et statum eiusdem nationis et contrate ea, que sequuntur, duximus ordinanda:

Inprimis volumus, quod ordinarius visitator Corkagie concurrat cum aliis visitatoribus Ybernie in honoribus, vel quod a communibus oneribus et contribucionibus liberetur; huiusmodi limitacio per provinciale capitulum terminetur.

Item. Mandamus et districte imponimus priori provinciali Anglie vel eius vicario generali, quatenus diligenter [inquirat] de fratribus, qui promociones et disposiciones factas per ordinem de fratribus Ybernie per personas extra obedientiam nostri ordinis constitutas, alias quovis modo indebitate conantur impedire, et ipsos arcea[n]t et punia[n]t per privaciones a graciis ordinis et per alias penas graves. Simili modo eisdem imponentes, quod

inquirant et puniant omnes illos, quos invenerint inurias, gravamina, detractiones aut molestias fratri Philippo vicario Ybernie irrogasse, et illos, qui fratres hospites Ybernie recipere noluerunt; illos eciā, qui studentes de Ybernia missos ad studia generalia vel alibi iuxta statuta et consuetudinem provincie et ordinaciones magistri admittere recusaverunt; et nichilominus reverendum patrem magistrum ordinis rogamus et committimus, quatenus habilitaciones factas de fratribus dicte contrate, specialiter de fratribus Iohanne Tropt, quoad lecturam sentenciarum in Oxonia, et Waltero Soril quoad lecturam sentenciarum in Cantabrigia, et de quibuscumque aliis ad studia promovendis, iuxta determinaciones et gracias per reverendos patres magistros ordinis actenus eis factas adimpleri faciat, sicut expedire iudicaverit ordinis honestati.

Actis additae sunt litterae magistri ordinis; cf. app. n. XCVI.